

Quis est ergo vsus decalogi, cum non
poßit aboleri?

Triplex est vsus: Primus est politicus seu paedagogicus, videlicet regere disciplinam in omnibus hominibus, etiam non renatis et ethnicis. Secundus vsus est spiritualis, videlicet accusare omnia peccata in hominibus interiora et exteriora et totam deprauationem. Tertius vsus est in renatis docere, qui cultus placeant Deo.

Potest ne haec infirma natura hominum
satisfacere legi?

Si non fuisset Adam lapsus, fulsisset in tota hominis natura conformitas cum lege Dei. Nunc vero, postquam deprauata est natura hominum per peccatum, nequaquam homo potest satisfacere legi Dei. Ideo Paulus inquit Rom. 3: „Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.“⁷¹ Item: „Omnes peccauerunt et carent gloria Dei.“⁷²

Est ne disciplina possibilis?

15

Nominatur disciplina gubernatio locomotivae, id est externorum gestuum et est obedientia externa iuxta mandata Dei. Ita ne externa membra committant delicta prohibita lege Dei. Estque possibilis hominibus etiam non renatis, sed non meretur remissionem peccatorum nec est iusticia coram Deo nec est impletio legis.

20

⁷¹ Röm 3,12.

⁷² Röm 3,23.